



Viglius apud Frisios natus est Anno circiter millesimo quingentesimo quinto. Is in omni genere literarum optimè institutus, Iurisprudētiæ operam dedit, & Doctoralia insignia impetrauit. Postea Ingolstadij professor, & tandem in Camera Imperiali assessor receptus fuit. Erat enim magna prudentia & naturali facundia cōspicius. In eo loco cum suis uirtutibus sibi magnam auctoritatem comparasset, Carolus Cæsar ac Maria Belgicæ gubernatrix eū inter consiliarios adoptarunt, & hinc inde res maximas expediendas commiserunt. In primis uerò hunc Viglium ad Imperij comitia suum legatum miserunt. Hoc pacto ipse an-

no millesimo quingentesimo quadragésimo tertio Norinbergæ comparuit, atq; Cæsaris causam contra Cliuenses defendit. Postea quoque anno salutis 1547 Coloniam uenit, atq; Hermannum electorem deposuit, & in eius locum, Cæsaris nomine, Adolphum substituit. Hisce officijs dextrè peractis effecit, ut Bruxellis Cæsareo iudicio præficeretur.